

## NON VIDETUR POSSE ADMITTI SANCTUM THOMAM DEMONSTRARE VOLUISSE ESSENTIAM CREATURARUM A SUA EXISTENTIA *REALITER* DISTINGUI

Tum anno 1926 in meo opere *Compendium Dialectae, Criticae et Ontologiae* (de quo altera editio facta est anno 1929), tum anno 1928 in opusculo *La fundamental diferencia entre Dios y los demás seres, según Santo Tomás* (suppl. ephem. matrit. *Estudios Eclesiásticos*), ostendere conatus sum Angelicum Doctorem inter essentiam et existentiam creaturarum unice distinctionem *logicam* evincere voluisse.

A pluribus mihi concessum est verba Sancti Thomae hanc interpretationem permittere (v. *Anal. sac. Tarrac.* 5, 1929, p. 352), quod quidem sufficere videtur ut eam amplectantur omnes illi philosophi qui *realem* distinctionem essentia ab existentia negant. Attamen, ut facile intelligitur, interpretationi datae non acquiescunt illi alii philosophi, qui censent argumenta Sancti Doctoris etiam *realem* distinctionem evincere.

Quum non sit huius loci disputare utrum rationes a Sancto Thoma allatae talem efficaciam habeant necne, alia via declarare conabor esse revera praeter intentionem Sancti Thomae distinctionem *realem* exigere.

In *Summa Philosophica* (l. 2, c. 52) Angelicus Doctor ostendere vult *etiam in angelis* distingui debere essentiam ab existentia. Videamus quonam modo id probat.

In primo argumento assumit ut quid manifestum (non enim hoc probat, nec alibi probatum esse dicit) quod *in rebus corporeis* ESSE non est *subsistens*, utpote *distinctum a substantia* earum. Ergo nisi quis dicere audeat manifestam esse in his rebus *realem* distinctionem inter essentiam et existentiam, fateri debet Sanctum Thomam distinctione *logica* (quae quidem in talibus rebus manifesta est) esse contentum. Verba Sancti Doctoris sunt haec.

“Non est autem opinandum, quamvis substantiae intellectuales non sint corporeae,... quod propter hoc divinae simplicitati adaequantur. — Invenitur enim in eis aliqua compositio, ex eo quod non est in eis

*esse* et quod est. Si enim *esse* est subsistens, nihil praeter ipsum *esse* ei adiungitur: quia ETIAM IN HIS QUORUM ESSE NON EST SUBSISTENS, quod inest existenti, praeter *esse* eius, est quidem existenti unitum, non autem est unum cum *esse* eius nisi per accidens, in quantum est unum subiectum habens *esse* et id quod est praeter *esse*; SICUT PATEt QUOD SOCRATI PRAETER SUUM ESSE SUBSTANTIALE INEST ALBUM... *Esse* autem, in quantum est *esse*, non potest esse diversum; potest autem diversificari per aliquid quod est praeter *esse*, SICUT ESSE LAPIDIS EST ALIUD AB ESSE HOMINIS. Illud igitur quod est subsistens, non potest esse nisi unum tantum. Ostensum est autem supra (l. I, c. 22 et 42) (1) quod Deus est suum *esse* subsistens...; oportet igitur in omni substantia quae est praeter ipsum aliud esse ipsam substantiam et aliud eius *esse*."

In secundo argumento expresse permittit Sanctus Thomas quod *esse* sit commune, sicut genus, et metaphysicis differentiis multiplicetur in creaturis. Ergo iterum Sanctus Thomas contentus est *logica* distinctione inter creatas essentias et *esse*. Videantur verba Sancti Doctoris.

"Natura communis, si separata intelligatur, non potest esse nisi una. . .; si enim natura *animalis* per se separata subsisteret, non haberet ea quae sunt hominis vel quae sunt bovis; . . . Remotis autem differentiis constitutivis specierum, remanet natura generis indivisa . . . Sic igitur si hoc ipsum quod est *esse* sit commune sicut genus, esse separatum per se subsistens non poteest esse nisi unum. . . Relinquitur igitur quod . . . nihil aliud praeter ipsum (Deum) est suum *esse*."

Denique ex dictis aperte sequi videtur nullam dari rationem suspicandi Sanctum Thomam in reliquis argumentis iam non esse contentum illa *logica* distinctione inter substantiam creatam eiusque *esse*, quae in rebus corporeis est manifesta et in primo argumento censebatur sufficiens ad diversificandum *esse* lapidi ab *esse* hominis.

FRANCISCUS MARXUACH, S. J.

(1) Ibi demonstratur Deum *ne logice quidem* distingui a suo *esse*.